



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Pharetra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

At tuor cubitorum magnitudinem, ut ita mortales reliquos superasse gestarum rerum gloria testaretur. Nam eorum, quae placida gesserit Rex hic Aegypti, pleni sunt omnes antiquitatis libri.

BELLUM INDICTUM. CAP. IV.

Apud Romanos indicti belli signum erat hasta ferrata praestitutaque, facialis manu pratenta, quam ubi primum in hostium fines emisisset, tribus puberibus praesentibus, causa prius exposita, bellum iustum indictum, fierique ceptum intelligebatur. Hinc apud Maronem Turnus primus,

— Jaculum intorquens emittit in auras
Principium pugnae.

Enid!.)

ARCUS ET SAGITTA.

TUMULTUS. CAP. V.

Aegyptii sane sacerdotes tumultum, aut belli principium esse factum, significare cum vellent, armatum hominem figurabant, qui telum arcu contenderet, & ad ferendum paratus videretur. In Divinis tamen literis per arcum & sagittas ab improbis hominibus paratas, interpretes totum belli apparatus accipiunt, & hujusmodi significatione Psalm. 119. *Dedisti metuentibus refugium, ut declinare valeant arcum*, quamvis in Hebraicis codicibus longe alia lectio reperitur. Ita tamen legit Euthymius, & hic arcum recipit Ecclesia.



SOLARES RADII. CAP. VI.

In Apollinis vero Dianaeque simulachris, arcus & sagitta vibratilem radiorum vim ostendunt. Unde Lucretius hieroglyphice ita eos expressit:

Non radii Solis, neque lucida tela divi.

Eadem in Sagittario caelesti signo, vim ejus a remotissimis etiam locis in plantas & herbas permeare, quae quidem ubitibi sunt, solari omnino vi vividae, & incolumes conservantur. In Gallieni sane numis Sagittarii signum est, quale caeleste illud fingitur, cum inscriptione, APOLLINI CONS. AUG.

Gallieni numus.

DE PHARETRA. CAP. VII.

Minime vero praetermittendus est locus in carminibus divinis Psalmo x. *Siquidem impii arcum sagittas intenderunt, promptuariis sagittis pharetram impleverunt, quas in quempiam probi cordis hominem immitterent.* Nonnulli Paraphrasta, dum novitati forsitan plus aequo student, pro eo quod apud Graecos est, *ἠπίου αὐτῶν βέλη εἰς Φαρέτραν*, *Sagittas ad nervum accommodarunt*, ponere maluerunt: nempe quod ita id exponendum codex Hebraicus admoneat.

COR, CONSILIUMQUE. CAP. VIII.

Damantius tamen Graecam secutus lectionem, ita pharetram agnoscit, ut quid habeant hieroglyphici, etiam interpretetur: per eam enim cor intelligit, per sagittas, consilia, & cogitationes? per arcum, os, & labia. Nam & alibi dicitur: *Cor impii repletum est veluti pharetra sagittis venenatis.* Consilia enim cogitationesque pessimae impiorum sagittae sunt: arcus vero, os & labia: quo distento, quippe ad aperto, virulenti cordis spicula depromuntur ad vulnera. Quod vero dictum est de lateribus, non otiose appositum: si quidem hi cum lucem odio prosequantur, in tenebris delitescunt, & in caeca malignitatis atque ignorantiae latibula sese abdunt. Jam vero apud Lucianum legas, *ὡς τῶν ἐπιμιδῶν σὸνδύων* stare aliquem in insidiis incognitum, qui arcu semper intento speculetur, quae latus exeras, ut ea te quamprimum parte conficiat. Ubi nimirum delatorum intelligas malignitatem, qui dicta factaque explorant tua: ac simul aliquid exciderit imprudenti, collectum statim ad dominum deferunt, ut aliquod inde tibi detrimentum accedat. Olympius quoque Ode secunda, tela pro verbis pharetram pro sententiis a Pindaro positas invenias: in hunc modum, *πολλὰ μοι ὑπ' ἀγνοίας*

Sic telum pro consilio, via, ratio, ne, ut sapientia.